


RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
ADOLPHO FRIDERICO IV.
DUCE MEGALOPOLIS REGNANTE,
PRINCIPE VANDALIÆ, SVERINI ET RACEBURGI, COMITE SVERINENSI,
TERRARUM ROSTOCHII ET STARGARDIÆ DOMINO &c.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE MORBILLIS,


QUAM,
EX CONSENSU FACULTATIS MEDICÆ,
PRÆSIDE
VIRO AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
DNO. CHRISTIANO STEPHANO SCHEFFELIO,
MED. DOCT. ATQUE PROFESSORE R. O. LONGE CELEBERRIMO,
HUJUS ACADEMIÆ CONSENIORE GRAVISSIMO,
H. T. PRO-DECANO SPECTATISSIMO,
PRO GRADU DOCTORIS RITE ADEUNDO,
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AUCTOR
LAURENTIUS GUMAELIUS,
JUNOECOPIA SVECUS,
AD DIEM VII AUGUSTI A. O. R. MDCCLIII.

GRYPHISWALDIÆ PRELO STRUCKIANO.



§. I.



Inter morbos, qui ab omni ævo terris incubuerunt, ſunt morbilli, genus morbi, hominibus adeo commune ac familiare, ut raro quispiam inveniatur, quin ejus inſultum, ſaltem ſemel, fuerit perpeſſus. Latiſſime hi præterita hyeme, non tantum heic, verum etiam in patria mea, ſunt graſſati, & omni ſexui, omnique, & præſertim tenellæ, ætati graviſſimam intulerunt cladem. Cum ergo ex præſcripto ſtatutorum, a me Specimen inaugurale, pro capeſſendis ſummis in arte medica honoribus, publice ventilandum requiratur, de morbillis agere, non inconſultum eſſe duxi, minusque ſuperfluum: cum tantum abſit, ut hi in omnibus cum variolis conveniant, ut potius multis in circumſtantiis ab iisdem omnino diſcrepent atque diſſideant.

§. II.

Sunt autem morbilli puſtulæ exiguæ lenticularis figuræ, & velut cutis aſperitates eryſipelatoſæ, cum intenſa rubedine & aliquali tumore, nec minus febri continua, ſæpe inſenſiſſima, conjunctæ, intra ſex vel ſeptem dies ut plurimum ſine ulla ſuppuratione excreſcentes, cutisque desquamationem poſt ſe relinquentes.

§. III.

Neque vero unius generis sunt morbilli: alii etenim sunt discreti, sparsim corporis superficiem occupantes, vel confluentes, totam hinc cutim, instar erysipelatis, rubore suffundentes & satis valde intumescere facientes: alii sunt sporadici vel epidemici: alii sunt benigni vel maligni, quorum hi virium subitanea prostratione, jectigatione corporis aliisque atrocioribus symptomatibus stipantur & facile enecant: ubi tamen notandum, hanc malignitatem, ex certa aëris constitutione haud raro morbillis propriam, probe distinguendam esse a malignitate adventitia, vel a malo ægrotantium regimine, vel a perversa medendi methodo, sua incunabula trahente: ut adeo idem illud circa morbillos usu veniat, quod SYDENHAM aliique dudum circa variolas observarunt: alii præterea sunt congrui, infantes puerosque affligentes, vel incongrui, adultiores senesve ipsos adorientes: alii denique sunt simplices, vel cum purpura, petechiis aliisve exanthematibus interspersis complicati.

§. IV.

Sed merito etiam morbilli ab aliis morbis exanthematicis, et quasi congeneribus, probe sunt distinguendi, ut rubeolis, petechiis, purpura, febri scarlatina. Licet enim horum omnium morborum, æque ac morbillorum, febris continua, plus minusve acuta, familiaris sit comes; differunt tamen a morbillis ratione figuræ, quam ista exanthemata præ se ferunt. Sicut namque morbilli figuram lenticularem; ita rubeolæ figuram longe minoris ambitus: petechiæ morsibus pulicum similem: purpura, tum rubra tum alba, seminis milii figuram, acquirunt: in febri autem scarlatina, cuticula una continuata rubedine sive inflammatione perfunditur. A variolis autem in specie differunt morbilli, quod suppurationi minus sint obnoxii: cum quævis pustula variolosa veram inflammationem, in suppurationem abeuntem, conjunctam habeat: morbillorum rubedo contra ad indolem erysipelaceam potius accedat. Præterea plura sunt symptomata, morbillis magis propria, quæ in variolis non adeo occurrunt, ut mox dicetur.

§. V.

§. V.

Quoniam vero medicus tantum curat, quantum cognoſcit, & optime ſciens optime curat; neceſſarium omnino eſt, ut non tantum ſigna, quibus præſentes morbilli cognoſci queant, tradamus, ſed & cauſam eorundem indagemus.

§. VI.

Signa morbillorum diagnoſtica, ſunt vel eos antecedentia, vel concomitantia, vel conſequentia. Imminere autem illos, vel eſſe in fieri, docent atque indicant, (inprimis ſi morbillorum conſtitutio epidemica adſit, in iis, qui morbillos nondum experti ſunt,) laſſitudo & gravitas totius corporis, ſomnolentia perpetua, pallor faciei, appetitus quodammodo proſtratus, tuſſis ſicca, ſternutatio frequens. Sequitur frigoris & caloris viciſſitudo ac permutatio: non diu poſt febris continua conſummata, pulſatio in ſpina & dorſo, pruritus & punctionis quædam moleſtia per faciem & mox per totum corporis habitum, ita ut corpus, præcipue vero plantæ pedum & volæ manuum, in adultis calloſiores, quaſi aculeis angantur: oculi involuntarie lacrymantes ſunt ac rubentes, palpebræ intumeſcunt, nares cum pruritu, ut in coryza, ſerum copioſum effundentes, quem pruritum ſubinde etiam, poſt prægreſſam vertiginem, abundantiſſima narium hæmorrhagia inſequi ſolet. Adeſt & raucedo, nec minus vomitus, pueris præcipue ἀδδηφάγοις familiaris: ſæpe vomituritio inanis.

§. VII.

Jam inſtat morbillorum proruptio, quæ inprimis tertio vel quarto die accidit. Hæc inter molimina in pectore non tam exanthemata, quam maculæ latæ & rubræ, ſuperficiem cutis non ſuperantes, conſpiciuntur. Ipſi autem morbilli prorumpentes, primo ſolam occupant faciem: hinc ſenſim ad dorſum, pectus, ventrem: dein ad extrema, brachia & crura, manus & pedes, ſe diffundunt, quoad numerum & magnitudinem intra tres dies, cum tumore, tum faciei, tum reliqui corporis, increſcentes & racematim non raro coaleſcentes, tandemque circa diem ſextum vel ſe-

 ptimum

ptimum, rubedine discussa, cum auctiori perspiratione facta, disparent & desquamationes farinosas post se relinquunt. Tantum vero abest, ut eruptione ista morbillorum facta perinde deliniantur symptomata, ac variolarum, præter vomitum, quem SYDENHAM nunquam post eruptionem observavit, ut potius omnia haud raro exasperentur. Inprimis vero, cum febri tunc intensiori ad deliria usque, circa pectus symptomata redduntur vehementiora. Raucedo fit clangosa, supervenit peripnevmonia, tussis adest cum dyspnœa ad metum usque suffocationis, præsertim in infantibus corporis succulentioris, & sibilo arteriæ asperæ: fauces simul intumescunt, ut vix deglutire possint, cum salivæ, præsertim in adultis, per totum fere morbi decursum copiosiori affluxu: quin immo in malignis supervenit inflammatio, quam non diu post gangræna & sphacelus excipere solet. Non raro etiam accidit diarrhœa, cum fæcibus viridibus spumosis ac torminibus, quæ sæpe inflammationem intestinorum conjunctam habet.

§. VIII.

Licet vero symptomata morbillosa circa diem septimum emoriantur sensim; nihilominus pertinax tussis, raucedo & spirandi difficultas permanent sæpe, ita ut nec interdiu, neque etiam noctu, somnus possit obrepere. Diarrhœa quoque sæpius ad plures septimanas excurrit. Sæpe etiam febris supervenit cum peripnevmonia, quæ plures jugulat, quam ullum symptoma. Non raro quoque morbillis succedit status totius corporis hydropicus, junctis vitæ & artis viribus insuperabilis: quemadmodum hoc symptoma etiam post purpuram rubram ac rubeolas haud infrequens est. Multis denique exitialis est febris lenta, cum atrophia & abdominis tumore, quibus in casibus post fata glandulæ mesaraicæ, vomicis obsessæ, repertæ fuerunt.

§. IX.

Præmissis morbillorum signis diagnosticis, quæ, ut completior sisteretur morbi historia, licet eadem ideo non in omnibus morbillosis obveniant, huc usque prolixius a me sunt adducta, ad

casuum

causam morbillorum me accingo explicandam. Hanc multi, a menstruis impuritatibus, graviditatis tempore à fœtus venis absorptis: alii a recrementis primis succi nutritii in utero: alii a materni lactis extra uterum impuritatibus, similibusque causis, admodum licet remotis, repetunt. Quamvis vero concipi vix possit, id quod multi talibus causis objiciunt, quomodo ejusmodi causa, qualiscunque illa demum sit, adeo remota, tamdiu, ut quidem in adultioribus usu venire debet, in corporis quodam latibulo delitescere queat, inprimis cum tot humorum mutationes, secretiones & excretiones, totque alii morbi, qui humorum crasin totam sæpius disturbant, sese in vita invicem excipiant; probabile tamen est, cum morbilli omnibus tantum non hominibus sint tolerandi, talem omnino causam connatam, quam vero medicus tuto ignorare potest, vel saltem dispositionem certam, nulla ratione invertendam, in nobis obviam esse debere, quæ, a contagio quasi animata, morbum hunc excludat: ut adeo contagium hoc in aëre obvolitans, aliundeque, immo e longinquo etiam allatum, & vel mediantibus poris absorbentibus, vel mediante inspiratione, vel mediante deglutitione una cum saliva in corpus admissum, ope illius demum causæ vel dispositionis, per se alioquin innoxiæ, eosdem effectus, ordine quasi mutuo se excipientes, ac quidem in prægressis morbillosis fuerunt observati, producat: post quos semel superatos homo utplurimum a morbillis intactus permanet: quemadmodum idem in variolis contingit, æque ac morbilli humano generi familiaribus: quæ non minus etiam pro benignitate vel malignitate, qua hucusque corpora affecerunt, & alios, hucusque liberos, dum earum tyrannidi subjecti fiunt, mulctare solent, in posterum itidem, postquam causa connata plenarie deferbuit, ab ista labe immunes futuros. Idem & probat insitio variolarum, quæ ideo tum demum administratur, quando benignæ variolæ vel sparsim comparent, vel epidemice in populo grassantur: quæque, postquam homo semel iisdem defunctus est, irrito cum successu in eodem tentabitur. Ne vero quis putet, male hic allegari variolas, quasi vero & hæ fundamentum suum æque ac morbilli, a sangvine menstruo vel lacte materno, similisque farinæ causis habeant, id quod petitionem

prin-

principii involvere posset; & alii morbi, ex contagio orti, præsto sunt, rubeolæ, purpura, petechiæ, tum veræ, tum spuriæ, in febri catarrhali petechizante obviæ. Nempe & hi morbi demum in corporibus dispositis, licet hæc dispositio non sit, ut in morbillis & variolis, connata, minus autem aliis, per infectionem similem tragœdiam corpori infecto inducunt, ac quidem in illo homine fuit observata, ex quo miasma qualicunque ratione in alterum, sanum hucusque, corpus fuit derivatum. Certam quoque dispositionem, ad morbos etiam alios in corpore suscipiendos aptam, adesse debere, & alia testantur. Hinc a pestilenti morbo homines vegetiores, & plethorici inprimis corripiuntur: qui vero chronice laborant, & languidi, optime contra se habent, immo hydropici fere sanantur. Ex eadem illa causa Hispani toti sicci, ab impura venere cum fœminis infectis vix lue venerea afficiuntur: pinguiora vero Germanorum corpora cum iisdem fœminis peccata graviter luunt & continuo inficiuntur. Vid. BOERHAAVII *Prælect. Tom. VI. p. 272.* Idem & exemplo venenorum, certis saltem animalibus necem inferentium, aliis ea impune assumentibus, nisi res esset adeo aperta, confirmari posset. Infectionem vero per contagium fieri semper iisdem symptomatibus in infectis, ac ante comparentibus, dum quædam ad hunc vel illum morbum disponens causa in corpore est obvia, vel bovillum quoque genus his temporibus abunde comprobare potest. Hujus enim portentosa lues epidemica, per omnem Europam divagans, eadem adhuc secum vehit symptomata, qualia jam RAMAZZINUS LANCISIUSque circa initia hujus seculi in eodem observavit morbo: In his autem brutis, dispositionem ad hanc luem adesse, vel inde apparet, dum bubulum genus adeo violenter pervadit: ut nulla huc usque humana consopiri, ne dum restingvi potuerit ope: qua dispositione vero post morbum semel perpessum sublata, vel plane non, vel rarissime recidivam ejus patiuntur: quæ quidem dispositio, vel ideo quoque agnoscenda est in hoc brutorum genere, quia non modo homines, sed & alia bruta, a ferali hoc morbo illæsa relinquuntur.

§. X.

§. X.

Quod si vero quis postulet, ut indolem miasmatis vel contagii morbillosi accuratius determinem, hoc nisi fieri possit, male certam medendi methodum morbillis applicari posse, causans; is sciat, eam quidem a priori haud determinari posse, in sensus utpote minus cadentem suaque subtilitate omnem indagationem eludentem, ita ut modum, quo talis causa corpori applicata agat, ignoremus omnino; cognosci vero eandem ex effectibus phænomenisque, dum sanos humores in suam indolem ita mutat, ut vel sanissimum inficere queat: ex quibus effectibus nihilominus adæquata & rationalis medendi methodus deduci poterit. Pro determinanda vero morbillosi miasmatis indole, effectus, in morbo ipso obvii, satis probant, eandem ad materiam erysipelaceam, non autem perfecte inflammatoriam, maxime accedere, siquidem suo stimulo febrim quasi erysipelaceam non tantum excitat, sed & morbillos ipsos protrudit, qui integumenta corporis externa, vel & membranaceas partes internas sæpius, tantum occupant, quosque nunquam sequitur, ut in variolis usu semper venit, suppuratio & exulceratio, sed qui cum epidermidis, ut in erysipelate fieri assolet, desquammatione post aliquot dies secedunt: unde & morbilli a multis prava erysipelata non male dicuntur. Præterea etiam causa morbillorum materialis, æque ac erysipelatis, causticæ acris & putrefacientis indolis esse videtur. Vehemens namque ipsius in partes nervosas operatio, instar erysipelatis, totius corporis functiones turbat, & inquietudinem, anxietates, jectigationem aliaque symptomata, in erysipelate obvenientia, inducit. Longe vero graviora excitat mala, quando expulsa retrocedit, quippe quæ, non secus ac erysipelacea illa, cito inflammationem internam, deliria, asthma convulsivum, spasticas stricturas, immo gangrænam & sphacelum arcessit: qualia & Hoffmannus de materia erysipelatosa recenset. *Medicin. Rat. Tom. IV. cap. de Erysipelate.* Sicut etiam juxta eundem in erysipelate non tam sangvis, quam serum acre, sulphureæ & causticæ naturæ, in culpa est; ita idem de morbillis merito est affirmandum: unde oculi & nares seroso profluvio laborant, et adeo frequentes sunt catarrhi, tusses, sternutationes, dyspnœæ, peripnevmoniæ, tormina,

na, diarrhœæ: omnia profecto mala ab eryſipelacea illa materia cauſtica, per illas partes, ope membranæ pituitariæ Schneiderianæ, ſe diffundente, facile deducenda: unde & SCHULZIUS, morbillos ad lymphatico-feroſos affectus potius, quam ſangvineos, pertinere, indolemque ſiſtere eryſipelaceæ-phlegmonodis febris haud immerito refert *in Pathologia Speciali p. 148.* Huic ſententiæ certa ratione etiam velificatur Cel. JOH. GOTHOFR. de HAHN, quippe qui in Tractatu *de Morbillis variolarum vindicibus*, non diu ante mortem edito, lymphatica vaſa in morbillis, quos nihil aliud, quam congeries horum vaſorum cutis, levi inflammatione inflatorum, eſſe putat, principem agere perſonam, demonſtraturus, gravedinem, tuſſim, oculos lacrymoſos & diarrhœam cum febri, tanquam indivulſa morbillorum ſymptomata, a quibus ſimul morbilli a variolis ipſi quam optime dignoſcuntur, adducit: licet dictorum ſymptomatum rationem non tam lymphæ per miasma quoddam causticæ & putredinoſæ factæ, quam potius auctiori hujus affluxui ex evolutione ſyſtematis lymphatici, in morbillis contingente, potiſſimum accepta ferenda cenſeat. Scripſerat ſiquidem ante binos hos annos *Rationem variolarum*, in qua, ſyſtema vaſorum ſangvineorum in variolis auctioribus vitæ motibus per actum quendam evolutionis ad majorem perfectionis gradum, majoremque illorum apparatum, ita ut vel vaſa dicta jam dum præſentia in conſpectum hac via deducantur, vel nondum formata formentur & perficiantur, perduci aſſeruerat: quam hypotheſin, ingenioſe excogitatam, ingenioſioribusque argumentis ac analogiis, ex plantarum regno inprimis deſumtis, ornatam, cum a WERNERO, FABRICIO aliisque docte oppugnatam videret, *in morbillis variolarum vindicibus* ingenioſiſſimis plane argumentis, non tamen ubivis æque ſatis facientibus, ulterius defendit, eamque ad morbillos ſimul extendit, ita ut in his ſyſtema vaſoſorum lymphaticorum in ſimili evolutionis actu conſtitutum eſſe probet, adeoque utrumque morbum pro dictato quodam nobis a natura tranſitu boni ſtatus corporis in meliorem habeat. Hoc ſaltem dolendum, hunc virum exaſciatiſſimis ſcriptis jam dudum clarum, morte, quam ex infirmitatibus ſuis ſibi imminere dicit, hincque & calamo & orbi erudito valedicit, præventum,

verum

verum praxeos cum meditationibus propositis, ex copiosa & provida praxi enatis, nexum publice declarare nequivisse licet ingenue fatear, necessarias in methodo medendi indicationis non adeo prono ubique alveo ex theoria Haheniana fluere.

§. XI.

Ex hac vero materia morbillosa caustica & putrefaciente & febri concurrente, de quibus in § *praecedente* dictum, facile omnia signa supra recensita derivare & explicare possem, si tempus huic dissertationi conscribendæ destinatum, id permitteret: licet negandum non sit, alias simul concurrere haud raro causas, tum internas, tum externas, quibus morbi symptomata vel numerosiora reddi, vel exasperari omnino possunt. Ad internas autem merito referendá, temperamentum, ætas, plethora, cacochymia, cachexia, & in genere constitutio præternaturalis quoad partes fluidas solidasque, in homine, quem morbilli corripiunt, præexistens. Ad externas vero, diæta prægressa, constitutio aëris, inprimis calida & simul humida, quippe quæ citam putredinem in sanis, multo magis in tali morbo, in quo jam materia caustica putrefaciens in culpa est, inducit, regimen justo calidius, animi affectus multaque alia.

§. XII.

Sed, quia non parum ad famam medici confert, si rite de eventu morbi, quidque hæc vel illa symptomata, inprimis, periculum quoddam præ se ferentia, involvant, aptum judicium ferre possit: quia etiam hæc cognitio ipsi medico curanti non parum confert & lucem accendit, ut eo magis adæquata remedia, pro ratione symptomatum occurrentium, invenire possit; per quam necessarium omnino est, ut & quædam de Prognosi afferamus. In genere itaque, ut præcipua circa prognosin jam modo adducamus, notandum, ab omnibus morbillos tanquam morbum, omnis periculi expertem, declarari: quod tamen de discretis intelligendum, ubi & post eruptionem, symptomatum remissio accedere solet. Quod si vero sint confluentes eaque remissio minus superveniat eruptioni, sed potius plura symptomata, ob perspirationem tum magis impeditam; tunc morbilli, tanquam imperfecta crisis, con-

ſiderandi, ut quidem in genere monuit Sylvius de morbillis. In ſpecie epidemici utplurimum, incongrui vero & complicati ſemper, pejoris ominis. Maligni, peſtis inſtar, exitiales ſæpe. Quod ad ſymptomata, hæmorrhagia narium ante eruptionem, etiam profuſior, non extimeſcenda; aliter vero ſe habet, ſi per morbi decurſum continuet. Neque timendum, ſi primis febris diebus, delirium, coma, tendinum ſubſultus, aliaque appareant: multo minus, ſi pauciora adſint ſymptomata. Foetor morbilloſorum peſſimus. Morbilli, cutim non ſuperantes, palleſcentes, luridi, violacei immo nigri, quique tardius erumpunt & diutius permanent, vel & mox retrocedunt, mali. Licet alvi fluxus variolis magis, quam morbillis ſit ominoſus; nihilominus, nulla diarrhoea in malignis vel & epidemicis vere critica nuncupari meretur. Qui moriuntur, plerumque peripnevmonia pereunt. Inflammatio interna, ubicunque ſit, plures jugulat, quam morbilli ipſi. Poſt morbillorum declinationem febris perſeverans, vel nova accedens, metum incutere debet. Phthiſis, diarrhoea, hydrops, atrophia univerſalis, morbillos, inprimis malignos, conſequentes, difficiles admodum curatu.

§. XIII.

Ad curationem morbillorum me accingens, moneo, eam ad tres indicationes eſſe dirigendam: primo ſcilicet ad febrim, cujus ope morbilli protruduntur: ſecundo ad morbilloſam materiam, tum corrigendam, tum expellendam: tertio ad urgentia ſymptomata, eaque vel morbum concomitantia, vel conſequentia.

§. XIV.

Febrim quod ſpectat; circa hanc omnino attendendus venit ejus gradus, numque natura in hac nimia ſit in ſuis operationibus, num vero potius deficiat. Si itaque exceſſus motus febrilis adſit, id quod ex gravioribus cognoſci poteſt ſymptomatibus, eo allaborandum, ut hic ad mediocritatem reducatur. Hoc, ut efficiatur, notandum, ſtimulum febrilem dependere inprimis a materia morbilloſa cauſtica: quæ in morbillorum principio tamen non tam expellenda, ne morbilli immaturi quaſi prodeant, majorque ſtimulus febri accedat; ſed corrigenda potius venit, per adæquata

remedia

remedia post recensenda: quibus & nitrata parca manu addenda, quippe per quæ non minus nimiis motibus frænum injicitur, ita tamen, ut de febri modo dematur, quod abundaverit, tantum vero relinquatur de illa, quantum ad morbillos blande expellendos necessarium est, ne æger cum ipsa febri exstinguatur. Quoniam vero & alieni stimuli obvenire possunt, a materia morbillosa minus pendentes, quibus febris symptomatumque, simul concurrentium, ferocia non minus adscribenda est; & hi utique tollendi veniunt. Jam vero inprimis ad hos contribuit plethora & primarum viarum impuritates: unde sua sponte sequitur, ad has quoque causas removendas simul respiciendum esse. Si itaque plethora adsit, ex suis signis dijudicanda, quæque etiam in tenella ætate occurrere potest; venæsectio quantocyus instituenda, vel, si hæc in tenerioris, ætatis hominibus in usum vocari nequit, ejus loco hirudines applicandi: quæ quidem evacuatio, non tantum sangvinis nimiam quantitatem minuit, sed & anxietates præcordiorum & inquietudines solvit, exanthematumque eruptionem promovet. Quod si vero cruditates primarum viarum febri primo tempore morbillorum vehementiori reliquisque symptomatibus fomitem præbeant, siquidem experientia testatur, impura corpora majori cum molestia & periculo morbillis defungi; pro diversitate circumstantiarum vel emeticum, vel laxans blandum, minus vero acre & inflammans, exhiberi potest, vel & clysmata applicanda, laxantibus licet longe inferiora. Eadem & vomitoria & laxantia circa quartum & criticum adhuc diem locum habere possunt, si symptomata, alioqui circa hoc tempus remissiora, a vitiosorum humorum in ventriculo & intestinis colluvie ortum trahant, mire hinc conquiescentia, ut in infantibus præsertim lactentibus observavit HOFFMANNUS *l. c. p. 196.* Si vero natura in suis operationibus deficiat, adeoque non sufficiat, ut motus febriles, primo morbillorum tempore necessarios, & ad eliminationem materiæ morbillosæ facientes, justa cum efficacia exerceat, sed succumbere quasi oneri videatur; loco fræni, calcaria sunt addenda ad motus depuratorios augendos: ubi præter expellentia blanda, de quibus mox dicetur, interna, epispastica, suris vel plantis pedum sunt

 appli-

applicanda, ex fermento panis acido, ruta, femine finapios, fale communi, aceto fimilibusque confecta.

§. XV.

Secundam indicationem requirere materiæ morbillofæ correctionem & expulfionem, §. XIII. dixi. Inter corrigentia vero a plurimis hodiernis abforbentia lapidofa, partesque animalium duriores, offa, cornua, ungulæ, extolluntur, quorum experientiæ, invitus refragor, vel ideo, quia talia in pulverem fubtiliffimum redacta materiæ morbillofæ caufticæ fe interponere, ficque munus corrigentium remediorum explere videri poffent: ex qua caufa & terræ medicinales pingves & minus figillatæ fua laude non effent defraudandæ. Cum autem materia morbillofa fimul fit putrefacientis adeoque alcalefcentis naturæ, non video, quomodo hæc remedia, licet inter bezoardica fixa vulgo dicta primarium nacta fint locum, aliquid boni efficere poffint, dum unice acidum, minus tamen in morbillis peccans, abforbendo agunt, non vero ab acido quodam ventriculi foluta, in maffam fangvineam, vel per minutiffima vafa lactea, vel villos inteftinorum venofos, haud facile, immo forte plane non, tranfire queunt. Ne jam dicam, me dubium hærere, annon illa ipfa antacida in hoc morbo noxia potius effe poffint, dum, acidum fuperftes ventriculo furripiendo, majori putredinis incremento anfam dant. Partes vero duriores animalium in fpecie, vel ideo quoque nocere poffunt, dum partes gelatinofas in fe fovent, quæ in ventriculo extricatæ non minus putredinem facile concipiunt. Hinc omnino credo, acida potius, tum vegetabilia, tum mineralia, fummum ufum in hoc morbo habere, quippe quæ, fi quid aliud, putredini maximopere refiftunt; qualia & PELARGUS *in fuis Eteodromis* merito commendat, alios ut taceam. Sed nitrata quoque vim iftam caufticam infringere queunt: unde non tantum nitrum depuratum, fed & alia nitrata, ut nitrum antimoniatum, fal polychreftum aliaque, nitro tamen depurato utilitate multum cedentia, fimul in ufum vocanda. His denique omnibus pro eodem corrigendi fcopo, mucilaginofa decocta hordeacea, avenacea, aliaque materiam acrem involventia & difcontinuantia aquofa interpolanda: & quidem

quidem talia, quæ sibi relicta, acescunt, non vero putrescunt, unde juscula gelatinosa hoc in morbo exulare debere, firmiter persvasus sum. Quod vero ad expellentia; illa utique conveniunt, ubi justo tempore, ob vires naturæ ipsius, expulsioni impares, exanthemata vel non prodeunt, vel prodeuntia cutim non satis elevant, vel etiam interiora versus retrocedunt. Equo enim currenti, quis calcaria addat? Temperata tamen esse debent hæc remedia, ut herba cardui benedicti, scabiosæ, scordii, semen napi, aquilegiæ, radix angelicæ, contrajervæ, sub forma pulveris vel infusi, minus vero essentiæ, parca manu propinanda: nec minus flores sulphuris conveniunt: antimonium vero diaphoreticum, bezoardicum minerale, cinnabarim quamcunque, minus probare possum, quippe quæ inertia in hoc morbo mihi medicamenta esse videntur. Sed spiritum cornu cervi aliosque spiritus alcalinos volatiles qualescunque, tincturas bezoardicas, aliaque calidiora plane non svaserim; majorem utpote dispositionem ad inflammationes internas putredinemque humorum inducentia, morbillosque benignos in malignos quam facillime convertentia.

§. XVI.

Quod denique ad tertiam indicationem, symptomatibus opponendam; intelligenda hic unice sunt urgentia, periculum majus, immo ipsius vitæ, involventia, hinc sine mora auxilium efflagitantia: reliqua enim leviora non adeo attendenda, quippe quæ levius & sine periculo tolerantur: quo pleraque eruptioni præcedentia referenda, quippe quæ, si a miasmate morbilloso, tanquam symptomata critica, sunt consideranda. Inter urgentia vero illa, non male primo loco adduco pruritum & punctionem, circa initia morbi, inprimis in adultioribus, in plantis pedum & volis manum, ob callosam ibi cutim, occurrentem: quod symptotoma sæpe adeo intolerabiliter affligit, ut æger haud raro mori malit, quam illud diutius ferre: unde ungvibus se scalpit ad effusionem sangvinis usque: post quam lacerationem vero calorem urentem ad animi deliquium patitur, supervenientibus maculis, purpureis lividis, sæpe lethalibus, vel gangræna, & in septima vel nona die interitu. vid. FORESTUS *Obs. med. L. VI. obs. 42.* & VIOLANTE *de Morbillis p. 161.* Contra hoc symptoma placet con-

silium

filium FORESTI, qui jubet, ut æger pedes, & manus continuo teneat in aqua calida: qua ratione cessat malum & morbilli melius per cutim molliorem factam ibidem emergunt. In faucium inflammatione, ad gangrænam tendente cum fructu præter venæsectionem adhibetur rob dianucum & gargarismi, quibus camphora admiscenda. Tussi confert diacodium Montani, vel extractum papaveris rhoeados aut croci. nec non oleum amygdalarum dulcium, cum syrupo violarum & capillorum veneris, vel de meconio, mixtum: quibus omnibus infusum vel decoctum quoddam pectorale ex radice scorzoneræ, sarsæparillæ, liquiritiæ aliisque adjungi poterit, cum nitro admixto, per morbi decursum potui frequenter dandum: illa vero papaverina non tam primis morbi diebus, sed potius inclinante demum morbo, conveniunt: quo tempore & laxantibus, bis vel ter repetitis, debellanda, nec non usu millepedum frequentiori, ac medicamentis epispasticis externis. Circa diarrhœam observandum, hanc sæpe, inprimis post morbillos regressos, esse criticam, quam si reprimeres, facile exulcerationes anginosæ & faucium, aliaque graviora symptomata introduci possent. Si vero est symptomatica, id quod ex dysphoria cognoscitur, aliter agendum, blandis nempe anodynis, terra sigillata rubra, cascarilla similibusque corroborantibus. Conveniunt etiam clysteres ex jusculo avenaceo & radice tormentillæ. Si vero diarrhœa ex inflammatione, qualem SYDENHAM hunc morbum vel statim excipere, vel etiam post ejus fugam ad plures septimanas excurrere testatur, optimum ejus consilium est, venæsectionem instituere, quippe qua sola hoc symptoma levari ait. Simili vero modo & reliqua symptomata inflammatoria venæsectionem requirunt. Hinc FREIND *in Hist. med.* si vehementia in morbillis sint symptomata, venæsectionem suadet pag. 45. 46. Hinc etiam MORTON in iis, inprimis ophthalmia, faucium inflammatione, angina, peripnevmonia, nec minus in diarrhœa, venæsectionem, etiam liberaliorem, quasi æger morbillis non esset affectus, maximopere commendat, sancte testans, se hac ratione, plurimos ab ipsis orci faucibus subito & feliciter eripuisse. *Pyretolog. cap. IV.* Idem auxilii genus contra peripnevmoniam suadet etiam SYDENHAM, bis vel ter, prout opus fuerit repetendum,

conveni-

convenienti ſpatio interpoſito inter ſingulas venæſectiones, non alio remedio huic ſymptomati occurri poſſe, omnimode convictus. *operum p. m. 199. & 1589.* Cum hoc per omnia conſentit MEAD, qui præterea, ut fomitem peripnevmoniæ præſcindat, in febris poſt morbillorum eruptionem incremento venæſectionem, etiamſi jam initio morbi inſtituta fuerit, interdum repetendam urget, id ſaltem mirans, quomodo SYDENHAM venæſectionem in principio morbi negligere potuerit, cum tantam utilitatem ex ea in graviſſimis morbillorum ſymptomatibus toties obſervaverit: id quod præpoſtero cuidam metui adſcribit. *de variolis cap. VI. de Morbillis.* Ad eadem illa ſymptomata inflammatoria jure quoque referendi morbilli, ex abuſu remediorum calidiorum & regimine calidiori in adultis liveſcentes: de quibus, eodem SYDENHAMO judice, conclamatum eſt, ubi primum nigredo iſta conſpicitur, niſi phlebotomia et temperatioris regiminis refrigerio iis actutum ſubveniatur. l. c. p. 197. Quod ad hæmorrhagias ſymptomaticas, progreſſu morbi obvenientes; dum a ſangvine per putredinem diſſoluto, oriri videntur, antiſeptica acida mineralia efflagitant. Symptomata denique morbillos conſequentia non niſi reſpectu, ad morbum primarium habito, radicitus evelli poſſunt.

§. XVII.

Paucis denique diæta venit tangenda: ubi quidem præ ceteris regimen calidius cane vel angue pejus fugiendum, ob ſyncopen lethalem, peripnevmoniam, inflammationem faucium & oculorum, diarrhœam, exanthemata morbilloſa nigreſcentia, aliaque damna graviſſima hinc metuenda. Hinc non tantum hypocauſtum juſto calidius, ſed & nimia integumenta & lecti molles plumisque diſtenti omni modo abſint. Hinc & exulet potus calidus, multo magis vinum & cereviſia generoſa: quorum loco vel juſcula hordeacea vel avenacea, vel etiam hydrogala ex lacte cum triplo aquæ cocto ſubminiſtranda veniunt. A carnibus omnimode etiam arcendus æger: potius pomum coctum vel alia acidula vel aceſcentia concedenda. Poſt morbum liberior frigidiorque aër fugiendus, quippe qui error eſt magis ſonticus poſt morbillos, quam variolas, corpusque perſpirabile ſervandum, blandis intercalatis laxantibus, victusque parcus & tenuis continuandus: qua quidem via corpus a variis ſymptomatibus immune ſervari poterit.

CUM

MEDICINÆ CANDIDATUS

PRÆCLARISSIMUS DOMINUS

LAURENTIUS GUMÆLIUS

DE MORBILLIS

DEXTERRIME SUMMAQVE CUM LAUDE DISPUTARET

ATQVE

TITULO *DOCTORIS* ERUDITIONIS GLORIA CONSPICUUS

RENUNCIARETUR;

HUIC PROBATÆ FIDEI VIRO

AMICO INTEGERRIMO DILECTISSIMO ET POPULARI DIGNISSIMO

S. P. D.

PETRUS LUNDELIUS M. D.

Ab humanioribus ſtudiis & ſcientiis cujuscunque ſint generis, tantum abeſt, ut Suecia noſtra, domicilium quippe literarum illuſtriſſimum, abhorreat, ut eo magis tantas res foveat, mirum in modum excolat, ſummamque exinde capiat voluptatem & veræ dulcedinis fructum, quo barbarorum regionem Patrii Lares cum ſtudiorum deliciis & virtutum celebratione in ſempiternam laudem atque emolumentum dudum feliciſſime commutarunt. Et utinam barbaries ubique locorum & gentium in ſecula ſempiterna ita eſſet proſcripta & nunquam recurreret! Sic profecto haberet orbis literatus, de quo ſibi in ſinu perpetuo gratularetur.

Ex quo tempore, Tu *Suaviſſime Amice* mihi innotuiſti, novi enim Te, cum etiam eſſes prætextatus, cultura ſtudiorum literarum medullis animi Tui tam firmiter hæſit, ut olim Te inde fertilem atque publicæ Rei & fructuoſæ illi arti, medicinæ, fructuoſum evaſurum, diu judicaverim. Nunc exſpectationem judiciumque meum ipſe fauſtiſſimus eventus comprobat. Salve igitur *Præclariſſime Domine Candidate*, qui ob indefeſſam diligentiam & curam in omni ſcientiarum genere per duo luſtra

&

& quod excurrit, adhibitam, nunc a Choro Medicorum gloriam titulumque honoris jure reportas. Sit felix faustusque hicce dies, quo Tu triumphum agis gloriosum, cognati atque amici vero affecti gaudio complodunt, Svecia virum doctrinæ celebritate clarum & civem dignissimum recipit, & dein omnes singulique cives Sviogothici, qui cura curationeque corporis sui languidi indigent, de Tuo auxilio consilioque maximopere gloriari queunt. Præterea

- - - Fortuna Tibi nubat
Vincat vota Tua fortunæ faventis afflatus.

Vale.

Wälment Lyckönskan
Till MEDICINÆ CANDIDATEN
Ädel och Höglärde Herr LARS GUMÆLIUS,
Min käraste Broder!

Lycka till Titul och hatt, som tig nu kommer at gifwas,
At siukdom twinar och dör, men menniskior lefwa och trifwas.
Lycka med Pulver, med Piller och wärkande, stärkande Droppar,
Som kunna lindra och bota de matta och siukliga kroppar.
Doctor at kallas är wäl, när man till namnet kan swara;
Men illa den giör, som ey det samma i wärket will wara.
Långt bättre ju är, at låta sig sielf af klokare hielpa,
Än utaf brist uppå wett nödlidande siälar at stiälpa.
Ach at så många, som önska at få en Doctor-hatt bära,
Wille besinna det rätt och konsten grundeligt lära!
Aldrig så många, jag tror, då skulle stå kalla på Bären,
Innan de sedt sina mognaste åhr och silfwergrå hären.
Du, min käraste Bror, som flit med snille förenat,
Äfwen det samma, som jag, om denna saken har menat.
Derföre blifwe tin lön, tillika med Titul och hatten
Praxis, som makalös är, och der af den härliga skatten,
At tin ömhet och konst af siuklingar aldrig må glömmas,
Samt dit ärliga namn blandt alla wida berömmas!

Framgifwen af

BIRGER GUMÆLIUS.

Steig frisch zum Pindus an, du Sohn der Pierinnen,
Um Dir den Doctor-Hut zum Lohne zu gewinnen,
Setz Dich beym Phöbus hin. Ein Weiser scheut sich nicht
Den Preis zu nehmen an. Ein andrer, dems gebricht
An Weisheit, Kunst und Witz, mag sich in Sorgen stecken,
Wie seinen Unverstand er könn' mit Titeln decken.
Ein wohl verdientes Lob kommt von sich selbsten wol.
Du warst von Jugend auf der freyen Künste voll.

Dieses schrieb seinem wehrten Freund zu Ehren

JOH. GEORG. COLLIANDER. Ph. M.

